Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



ad hebreos 324

nam estis: cui participes fuisti omnes: ergo adulteri et non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostre eruditores habuimus: et reuerebamur eos: nunquid multo magis obtemperabimus patri spiritum et viuemus? Et illi quidem per paucos dies secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in capiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij sed mororis. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae propter quod remissas manus et soluta genua erigite et gressus rectos facite pedibus vestris ut non claudicans quis erret: magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam: sine qua nemo videbit deum. Contemplantes ne quis desit gratie dei: ne qua radix amaritudinis surgens germinans impediat: et per illam inquinetur multi. Ne quis fornicator aut profanus ut esau: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est. Non enim inuenit penitentiae locum: quamquam cum lacrimis inquisisset eam. Non enim accessistis ad tractabile et accensibile igni et turbine et caligine et procellam et tube sonum et vocem verborum: quam qui audierant excusauerunt se ne eis fieret verbum. Non enim ferebant quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit. Exterritus sum et tremebundus. Sed accessistis ad sion montem et ciuitatem dei viuentis hierusalem celestem: et milibus milium angelorum frequentiam: et ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in celis: et iudice omnium deum: et spiritibus iustorum perfectorum: et testamenti noui mediatorem ihesum: et sanguinis aspersionem melius loquentem quam abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur multo magis nos qui de celis loquentem nobis auertimur cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit dicens adhuc semel: et ego mouebo non solum terram sed et celum. Et quod autem adhuc semel dicit: declarat mobilium translationem tanquam factorum: ut maneat ea que sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam: per quam seruiamus placentes deo cum metu et reuerentia etenim deus noster ignis consumens est:

Caritas fraternitatis permaneat in nobis: et hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Memento vinctorum tanquam simul vincti: et laborantium tanquam et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus: et thorus maculatus. Fornicatores enim et adulteros iudicabit deus. Sint mores sine auaritia: contentiti presentibus. Ipse enim dixit. Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo